



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

25. Quale peccatum sint auaritia & prodigalitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

tatem spectat. In medio autem consistit liberalitas, qua moderatus amor est diuitiarum: dat enim & retinet, quando, & quomodo oportet. Vnum tamen hic aduertendum est, quod Auaritia opponitur, & contraria est duplici virtuti, puta, iustitiae & liberalitati; tunc enim est contra iustitiam, cum versatur circa alienum, puta, cum non datur, quod debetur, ex amore ipsius pecuniae; aut cum accipitur quod alienum est, per furtum, rapinam, vsuram, vel alia iniusta via. Cum vero versatur circa propria, puta, circa immoderatum affectum in rebus proprijs, tunc est contra liberalitatem. Similiter etiam prodigalitas opponitur iustitiae & liberalitati. Iustitiae, cum prodigius est aliquis ex alieno; vt, cum multa debeat, inutiliter consumit pecunias, & fit impotens ad soluendum. Liberalitati, cum ex proprijs tantum immoderate consumit. Pareat ergo, quid Auaritia, quid Prodigalitas sit, & quibus contrariae sint virtutibus.

*Quale peccatum sint Auaritia, & Prodigalitas.*

CAPVT XXV.

**A**D cognoscendum quale peccatum sit Auaritia, oportet considerare, & distinguere, quando contra iustitiam, & quando contra liberalitatem est. Cum enim est contra iustitiam, ex genere suo est mortale peccatum, & de facto est mortale, nisi ob leuitatem materiae, vel ob defectum deliberationis fiat veniale: vnde, qui ex auaritia, & pecuniae affectu retinet alienum, nolens restituere, aut accipit alienum via aliqua iniusta, mortaliter peccat. Quando vero est contra liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est; quamuis fiat mortale, cum opponitur praecipuo charitatis: v.g. retinere multum pecunias proprias, nolendo dare, & succurrere alteri, & habendo immoderatum appetitum earum, veniale est: si tamen homo ex tali affectu non succurrat indigenti posito in extrema, aut graui necessitate, cum obligatur praecipuo charitatis, mortaliter peccat. Similiter, cum est paratus negligere, seu transgredi diuinum praecipuum potius, quam separare affectum a pecunia, peccat etiam mortaliter: vt, qui paratus est, si possit, furari, aut vsuram dare, aut negare indigenti extreme, aut quid simile. Idem etiam dicendum est de Prodigalitate:

cum

cum enim est contra iustitiam, tunc ex genere suo est mortale peccatum; & verè est mortale peccatum, nisi excusetur vna illarum duarum causarum, quas diximus de Auaritia: vnde, mortaliter peccat prodigus consumens pecunias alienas; vt tutores, & curatores, res pupillorum consumentes, & dispensatores, rem sibi traditam prodigentes, peccant mortaliter. Prodigus autem peccat mortaliter, cum se impotentem facit ad soluenda debita sua, & cum reliquit providere familiæ, seu vxori, & liberis: at verò, cum est contra liberalitatem, ex genere suo est veniale; vt, qui ita de proprijs est prodigus, quòd nullam iniustitiam committit in aliorum: tamen hoc modo fit etiam peccatum mortale, cum transgreditur aliquod præceptum charitatis; vt, qui notabile scandalum ingerit alijs sua prodigalitate, maxime, si est persona ecclesiastica, & qui, dum viuunt prodigè, indigenti in graui, aut extrema necessitate non succurrit; & qui paratus est mortaliter peccare potius, quam à tali prodigalitate, quam peruersè liberalitatem vocat, desistere.

*De filiabus Auaritiæ.*

CAPVT XXVI.

**M**ultæ sunt filiæ Auaritiæ, quæ ad finem ipsius ordinantur, seu ab ipsa procedunt, quas S. Thom. 2. 2. q. 118. art. 8. refert ex Greg. Hæ autem sunt num. 7. obduratio, inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia, proditio. Quarum prima est obduratio, contra misericordiam, quæ consistit in retinendo: ex eo enim, quòd auarus vult inordinatè retinere pecuniam, fit obdurati cordis, & animi immisericordis ad subueniendum necessitatibus proximorum.

Ex eo etiam, quòd immoderatum habeat affectum, consequitur inquietudo, vt semper sollicitus sit mente, & varijs curis, & anxietatibus distrahatur. Ex eo etiam, quòd vult acquirere immoderatè, sequitur, vt sæpè vtatur fallacia in verbis, & fraude in factis, & periurio, falsum confirmando; & violentia, furando, rapiendo aliena, & aliquando prodendo personas, vt Iudas, qui ex Auaritia Christum Dominum prodidit. Inter has filias oportet primò examinemus obdurationem cordis ad miserendum aliorum. Et quia ad hanc pertinet præ-